DE DIPHTHERITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. M. MARTII A. MDCCCLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS JACOBI
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. SCHWARTZ, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
B. LEMP, MED. ET CHIR. DR.
C. SENFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT B. L. BENDIX.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO
EXPERIENTISSIMO

BERNARDO LANGENBECK

MED. ET CHIR. DOCT. MED. PRACT. PROF. PUBL. ORD. REGI A CONSIL
MEDICIS INTIMIS ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI ETC.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO ATQUE
HUMANISSIMO

NEC NON

SORORIS MARITO

AESTUMATISSIMO DILECTISSIMO

ARMINIO EBERT

MED. ET CHIR. DOCT. MED. PRACT. REGI A CONSILIIS MEDICIS ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quod attinet ad diphtheritidis historiam, hunc morbum periculosum et tetrum primum a medico Gallo Bretonneau descriptum esse scimus. Cui viro naturam accurata observanti occasio offerebatur, in urbe gallica Turonibus sub finem saeculi superioris permultos homines diphtheritide affectos videndi. Ipse plus quam sexaginta enumeravit morbi historias et, quae inde redundabant, complexus est atque in lucem protulit.

Bretonneau morbo nostro diphtheritidis nomen indidit, quo omnes illas affectiones comprehendit, quas alii nomine anginae malignae, alii ulcerum scorbuticorum, alii stomacaces, alii inflammationis pharyngis gangraenosae, alii pharyngis et laryngis pseudomenbranaceae nomine descripserunt. Recentiores morborum infantilium descriptores diphtheritidis quidem mentionem faciunt, ejus vero tales adumbrationes proponunt, ut credere vix queamus, auctores morbum illum ipsos observasse, immo vero hac re esse coactos, ut scriptores Gallos stricte sequerentur eorumque verba redderent. Pauci enim plura proferunt, quam quae Bretonneau, hujus

morbi primus observator, jam ante triginta annos apposuit.

Mihi ipsi opportunitas oblata est, affectionem illam in nosocomii Caritatis instituto clinico, quod sororis maritus Clarissimus Ebert summa strenuitate moderatur, satis crebro observandi et quidem per annum, quo praxin in clinico paediatrico factitavi, diversae morbi formae et effigies observandae obvenerunt. Endemicus nempe morbus ille nominari fere potest, qui, sicuti inter aegrotos chirurgicis morbis affectos gangraena nosocomialis atque phlebitis, sicuti inter gravidas et puerperas febris puerperalis interdum saevit, ita in nosocomiis praecipue grassatur.

Apud animum meum constitui, cum morbum ipsum ejusque complicationes et exitus describere, tum aliquot a me ipso observatos casus lectoribus apponere, quorum alios sanatos vidi, aliorum vero necroscopiam probe enarrabo.

De diphtheritidis natura, symptomatibus, Diagnosi differentiali ab aliis membranarum mucosarum affectionibus.

Diphtheritidem morbum esse membranas mucosas adgredientem constat. Quo clarius autem appareat, quonam modo morbo nostro membrana mucosa afficinatur, diphtheritidem cum aliis membranarum mucosarum morbis comparaturi sumus.

Tres inflammationis membranarum mucosarum formae nobis innotuerunt, quae re vera inter se dif-

ferunt et dignosci possunt: inflammatio catarrhalis, mucosa, diphtherica, quae formae omnes ab hyperaemia et sanguinis stasi in vasis ordiuntur, quam ob rem ruborem membranae mucosae proferunt, cujus caussa praecipue in vasis capillaribus sanguine obrutis ponenda est. Exsudatum autem hac stasi editum valde diversum est. In forma nempe catarrhali e glandulis muciparis mucus editur, qui pro inflammationis intensitate, incremento et tempore cum quantitate tum qualitate nunc tenuior nunc densior existit.

Qui mucus membranam mucosam obtegens invenitur, facile autem abstergitur, quo facto membrana mucosa subdita rubra, tensa, ceterum autem integra cernitur. Per inflammationem crouposam membranae mucosae exsudatum ex ea proficiscitur plasticum, fibrinosum, quod initio membranae mucosae inhaeret, postea muco subtus exsudato solvitur. Quod exsudatum membranas format cohaerentes, quae modo tenuissimae sunt, modo ad linearum aliquot crassitudinem variant, et omnibus medicis ex angina membranacea laryngem tracheamque obsidente satis notae sunt.

Quibus exsudatis volsella caute detractis, membrana mucosa subdita rursus integra conspicitur et quo crassius exsudatum est, quo magis membrana mucosa illud producendo exhausta videtur, eo minor membranae mucosae sub exsudato rubor et inflammatio, immo vero pallor ejus interdum et anaemia in conspectum prodeunt.

Plane discrepat ab hac forma, quod inflammatione diphtherica gignitur, exsudatum. Hic enim exsudatum non ad membranae mucosae superficiem, sed intra ejus telam ipsam secernitur, atque macularum instar magis minusve alte in membranam mucosam descendit. Quum volsella exsudatum diducere conamur, membrana mucosa sanguinem fundit, exsudatum divellamus necesse est, ut effodiatur; idem vero mox regeneratur eodem loco. Natura exsudatum diphthericum nonnisi telae laesione excutere potest, telam infiltratam plane avellens, qua ratione ulcera crebro oriuntur cum marginibus laceris, quae morbo persistente exsudato obteguntur, atque speciem membranae imitantur, quae fallacia adhibito crapulo mox evanescit. Membranae enim fallaces divelluntur atque membrana mucosa subtus destructa conspicitur. Membrana mucosa majore ambitu et altitudine exsudati maculis obsita, necrosi corripitur per amplum circuitum, nigra, gangraenosa apparet et avulsa majora ulcera relinquit. Partim hac ex causa, partim quod exsudata et membrana mucosa ipsa sanguine effuso creberrime opaca, modo fusco modo livido colore imbuta cernuntur, nomen anginae gangraenosae deductum est. Nec minus jam Bretonnean demonstravit, morbum hispanicum, Garotillo dictum, qui tanquam pharyngis degeneratio gangraenosa describitur, optimo jure diphtheritidi adnumerandum esse. Porro diphtheritis ab aliis membranarum mucosarum morbis eo differt, quod mem-

brana mucosa per exsudatum insertum rigidior et quasi verrucosa redditur, qui rigor clarissime conspicitur in oculi membrana mucosa per diphtheritidem infiltrata; si enim oculum clausum aperire conamur, interdum nec palpebra, inprimis morbi initio, replicari potest, nec membrana mucosa tumefacta protuberat, sed palpebra rigida tabulae instar attollitur atque valvae more a bulbo amovetur. Ineunte exsudato diphtheritico membrana mucoso livida, non raro ecchymomatibus maculata, in superficie verrucosa atque floccis exsudati cinereis aut subflavis, interdum sanguine nigrescentibus pertexta conspicitur, quorum numerus et magnitudo variis in casibus maxime discrepant. Serius ulcera inveniuntur, quae plerumque simili massa exsudata molli magis minusve oblita sunt; denique non raro destructiones gangraenosae partis alicujus membranae mucosae observantur.

DE SEDE, DECURSU, EXITU DIPHTHERIDIS.

Quod ad sedem diphtheritidis attinet, Ebertus hanc affectionem in omnibus membranis mucosis vidit, exceptis bronchiis, ventriculo, intestino tenui. Creberrime vero in partibus pharyngem constituentibus, in velo palatino, in uvula et tonsillis, in pharynge invenitur. E pharynge sursum per choanas ad nares, deorsum ad laryngem et oesophagum pergere potest. Nunquam diphtheritidem in larynge Ebertus observavit infra ligamenta rimae glottidis. Membrana mucosa inferioris laryngis partis, nec non bronchiorum

tum crebro rubefacta, nunquam autem exsudato diphtheritico obsessa fuit. In oesophago exsudatum diphtheriticum maxime margine acuto definitur, interdum vero tum in cardiae vicinia iterum exsudata diphtheritica inveniuntur.

Quamquam Ebertus in ventriculo et intestino tenui nunquam morbum nostrum observavit, nec mihi, qui saepenumero sectionibus infantium iphtheritide mortuorum interfui, unquam contigit, ut his in partibus depositiones diphtheriticas reperirem, tamen alii contenderunt, ibi quoque diphtheritidem occurrere. Verisimile fortasse est, illos diphtheritidem cum glandulis solitariis et Peyerianis tumefactis et ulceratis confudisse. In colo intestino et recto autem sine dubio diphtheritis observatur, atque hic speciem dysenteriae malignae induit.

Denique diphtheritis non raro in canalis alimentarii initio et fine deprehenditur, in labiis, gingivis, nec non in ani orificio. In labiis praesertim in labio inferiore, aequali ratione membrana mucosa tumescit, et exsudata formantur, labia adhibito tactu facile sanguinem edunt, excoriationes et ulcera oriuntur, quae massa molli obteguntur.

Eundem processum pathologicum cernimus in gingivis et in ani orificio, ubi fissurae profundae et ulcerosae formantur, quae propter telae subditae tumorem verrucosum facile syphilidis suspicionem movere possunt. Elucet e rebus expositis, canalis ali-

mentarii initium et finem praecipue diphtheritide tentari, eandem vero in omnibus aliis membranis mucosis observari, jam commemoravimus; haud raro apud infantes in oculi conjunctiva animadvertitur. Facile hic dignoscitur morbus palpebrae rigore, exsudati floccis sub albis aut subflavis in membrana mucosa sedentibus, secreto purulento et destructione celeriter ad oculi interiores partes aut ad ambos oculos diffusa, qua saepe alterutrius aut utriusque oculi in diphtheritide jactura cito inducitur. In ani orificio diphtheritis raro, tamen interdum observatur, naturam autem illam perniciosam, qua telae alte divelluntur, nunquam fere ibi offert, nisi aegroti mors aliis affectionibus diphthericis, quae uno eodemque tempore locum habent, arcessitur. Denique diphtheritis satis crebro in partibus genitalibus muliebribus observatur, internam superficiem labiorum majorum obsidens, inde introitum vaginae adgrediens. In puerperis diphtheritis levioris colpitidis et endometritidis puerperalis speciem prae se fert. Exanthematum quoque diphhtericorum mentio injecta est, et re vera exsudata diphtheritica in vulneribus aut in cuti epidermide privata deponuntur, quum illa secreto membranae mucosae diphtheritide affectae arrosa est, ut circa labia, oculos, anum, vulvam interdum fieri potest; idem conspicimus in cuti cantharidibus attrita atque in utroque casu ulcera profundiora et gangraena emergere possunt. Deposita vero diphtheritica, quae primaria vocari possunt, in

cuti non observantur, nec oriri ibi possunt, quia diphtheritis κατ' ἐξοχὴν membranarum mucosarum morbus est.

DE AETIOLOGIA.

De causis et peculiari quadam ad diphtheritidem dispositione nihil certi novimus, scriptores nonnulli contenderunt, infantes praecipue scrophulosos illa affici, id quod veritati non plane congruit. Verisimilius est, infantes cachecticos, qui aliis jam laryngis et pharyngis morbis affecti fuerint, aut adhuc sint, praecipue hunc ad morbum esse opportunos.

Quod attinet ad diphtheritidis extensionem geographicam, eam in terris australibus crebrius occurrere quam in septemtrionalibus observari, constat, quamobrem in plagis meridionalibus Galliae morbus epidemicus est.

Saepenumero infantes tempore dentitionis diphtheritide corripiuntur atque Bretonneau commemorat, sese tempore vernali, quo anginae omnino dominantur, diphtheritidem crebrius observasse.

Quae observatio cum iis, quas in caritatis nosocomio collegimus, non consentit, quibus hiemali semper tempore infantes diphtheritide affectos curandos obvenire constat.

Morbi contagium a permultis medicis prioris aevi, nec non nostrae aetatis in dubium vocatum est, perperam vero, quoniam in nosomio caritatis saepius in-

fantes cubiculum tenentes ei vicinum, in quo infans diphtheritide affectus detinebatur, subito morbo correptos vidimus. Infectio oriri potest cum contaminatione ipsa membranarum mucosarum per contagium, tum contagii inhalatione. Contagium probabiliter a contagio aliorum sanguinis morborum, exempli gratia typhi, variolarum etc. non discrepat, quam ob rem medici est, diphtheritide affectos ab alis segregare, ne morbus funestus, qui, praesertim si aliae jam epidemiae, uti scarlatina, saeviunt, centenos infantes exstinguit, per contagium epidemiae formam adsciscat.

PROGNOSIS.

Quod attinet ad prognosin, de diphtheritide scriptores nonnulli haud infausta auguranda esse tradunt. Equidem vero his auctoribus assentire nequeo, inprimis observationibus respectis, quae in nosocomio caritatis per annorum spatium collectae sunt; mihi enim ipsi occasio oblata est, hujus morbi formas diversissimas et varias corporis partes obsidentes observandi. Prognosis semper anceps, crebro mala exstat. Interest, utrum morbus localis unam tantummodo partem alteramve teneat, an sanguinem contagio infecerit.

Qua ratione stomatopyrae similis est, quae interdum localis atque periculi expers occurrit, aut morbum universalem aut signum morbi universalis sistit tumque permultos infantes aufert. Sub morbi universalis forma graviorum san-

guinis morborum effigiem ostendit, aut scarlatinam, variolas, praecipue autem typhum comitatur. His in casibus prognosis semper pessima et exitus lethalis inevitabilis est. Porro prognosis pendet ab extensionis celeritate, num larynx aut pharynx et oesophagus affecti sint, an febris celeriter crescat et morbus mox typhi speciem induat, utrum per breve tempus sopor et collapsus oriantur, quibus spes febrem mitigandi valde diminuitur. Quum petechiae et maculae per totum corpus dispersae apparent, sanguinis dissolutio jam orta et mors iminens nuntiantur. Diarrhoea colliquatina intrante, ventre tactum non ferente, certo indicatur, morbum ad intestinum crassum jam transiisse, id quod semper pessimi ominis est.

Morbo ipso tali modo exposito, casus aliquot diphtheritidis. quorum observandorum occasio mihi data erat, enarrabo simulque therapiam in nosocomio caritatis usitatam et ex mea sententia quam utilissimam indicabo.

Id operam dedi, ut ex casibus, quos observabam, varios eligerem, quibus morbi imago variis in formis reddatur perspicua.

DIPHTHERITIS VULVAE.

Aemilia Hellmuth, decem annos nata, die vigesimo primo mensis Julii anni 1856 in nosocomii caritatis

clinicum paediatricum recepta est. Puella eo usque praeter scarlatinam nullum morbum perpessa, ante quatuordecim circiter dies dolorem urentem inter crura sensit motu adauctum et valde molestum. Locum affectum inspicientes maculas complures rubras invenimus leucorrhoea procreatas, quae partim secreto albo et purulento obtectae erant. Quas maculas aegrota saepius aqua frigida ablutas nihilominus sese extendisse enarrat. Maculae massa grumosa obtegebantur, in altitudinem et amplitudinem extendebantur, dolore, quem procreabant, motum aegrotae impediebant eamque ad nosocomium deferri jubebant.

Status praesens. Puella apta architectura insignis, bene nutrita, oculis areola subnigra circumdatis et relapsis, cuti satis calida, pulsum offert bonae indolis, centies micantem. Oculi inflammati eorumque margines pure exsiccato obtecti sunt. Num haec inflammatio per contagium exorta sit, aegrota nescit. Genitalium exploratio inflammationem vehementem et tumorem labiorum majorum et minorum, fluorem album atque ulcera subrotunda massa grumosa obtecta exhibet, quorum margines serrati valde inflammati et tumefacti sunt. A vagina inde usque ad pollicis longitudinem post anum partes crenum ani constituentes ulceratione destructae et simili massa obtectae inveniuntur. Maximam partem nigrae et gangraenosae sunt. Rectum nudatum morbo nondum affectum est. Balneum imperatur 22. 7. Postridie tota superficies

argento nitrico aduritur, ad usum internum haec dantur:

Rcp. Decoct. cort. Chinae (ʒij) ℥iv
Acidi hydrochl. gr. xv
Syr. cort. aurant. ℥j

et ad massam gangraenosam eliminandam:

Rcp. Inf. flor. chamom. (℥ij) ℔. ij
Tinct. opii ʒiß
Acet. plumbic. ℈j.

Crustae gangraenosae celeriter dejiciuntur atque in marginibus tantummodo singulisque locis diphtheritis invenitur. Iterum argento nitrico in usum vocato, reliquis partibus unguentum ex hydrargyro oxydato rubro admovebatur, nec non fomentationes continuabantur. Attamen hac medicatione nondum morbus cito et tuto depellebatur, quamobrem die 26. 7. ferrum candens in usum vocabatur. Ad locum adustum per viginti quatuor horas fomenta frigida applicata sunt, quo facto iterum Chamomill. infusum adhibitum est. Inde a die 27. 7. aegrota quotidie balneo tepido utebatur, et mox bonam valetudinem recuperabat. Die 30. 7. ulcus plane depuratum atque unguentum hoc:

Rcp. Ungt. zinci ℥ß
Argent. nitr. gr. ij
Bals. peruvian. ʒß

admotum est. Aegrota in universum bene sese habet, vires autem per morbum, digestione non integra, valde

debilitatae sunt. Quum vulnus ad cicatrisationem minime vergeret, unguenta seponebantur et die 4. 8. fomentationes ex sol. argent. nitr. (gr. ij ad ℥j) adhibitae sunt. Languore autem adaucto, ad usum internum praescripta sunt:

Rcp. Inf. flor. arnic. (ʒj) ℥iv
Spirit. aeth. nitros. ℈j
Elaeosacch. foenicul. ʒij.
M. D. S. Omni bihorio cochlear minus sumatur.

Vulnus bonam quidem speciem obtulit, cicatrisationem autem recusavit. Quam ob rem curatione iterum mutata, vulneri fomenta superimponebantur haec:

Rcp. Decoct. chin. (℥j) ℔ j
Tinct. myrrh.
„ opii crocat. āā ʒij.

Hac medicatione jam postero die granulationes bonae succrescebant et ad cicatrisationem adjuvandam vulneris marginibus linteum tenue oblitum ungt Zinc. injectum est. Ad usum internum aegrota accepit:

Rcp. Tinct. ferr. pomat.
„ rhei vinos. āā ʒj.
M. D. S. Quater per diem gtt. x sumantur.

Jam die 15. 8. cicatrisatio in marginibus lente progrediens atque in ulceris centro bonae granulationes rubrae conspiciebantur. Ad vires labefactas augendas a die 17. 8. aegrotae porrigebatur emulsio chinata (ʒj ad ℥v), qua optimo cum fructu utebatur. Vires

adauctae sunt, puellae habitus melior et mens eo usque tristis, hilaris evasit. Decubitus sub mensis initio exortus per fomenta cum vino camphorato in melius vertebatur et nullam prorsus suspicionem excitabat. Sub mensis finem aegrota optime valuit, diarrhoea ultimis diebus exorta mox decoct. salep. (℈j ad ℥iv) fugata est. Appetitus bonus, vires auctae sunt. Ulcus cicatricem pollicem unum ad unum cum dimidio latam offerebat, bonamque speciem praebebat.

Per alteram mensis partem dimidiam vulneris cicatrisatio tantos fecit progressus, ut circa os coccygis tantummodo et in labio majore sinistro ulcuscula duo superessent, quibus ungt. nigrum admovebatur. A die inde 20. 9. haec paullo tantum diminuta sunt, aegrota in universum tam bene sese habuit, ut e pluribus jam diebus lectum relinqueret. Puella die 6. 10. frigore tentabatur, cui calor successit, quare statim, quum intermittententis febris suspicio emergeret, haec porrigebantur:

Rcp. Chin. sulph. gr. iij
Sacch. albi gr. v
Dispens. doses. iij.

Nec iterum paroxysmus accessit, medio vero mense Octobri diarrhoea intravit. Aegrota sumsit haec:

Rcp. Decoct. rad. althaeae ℥iij
Argent. nitr. gr. β
Syrup. spl. ℥j

deinde

Rcp. Decoct. cort. chin. (℥β) ℥iij
Tinct. thebaic. gtt. x
Syrup. spl. ℥j.

quibus medicamentis diarrhoea cessit.

Die 20. 11. vulnus perfecte cicatrisatum fuit, labia majora, perinaeum et partes rectum prolapsum circumdantes plane destructa sunt; ani prolapsus eo tempore impugnari non potuit, praesertim quum aegrota eo minime offenderetur atque faeces optime retinerentur. Valetudo integra fere restituta, vires quidem adhuc labefactae et facies pallida cernuntur. Diarrhoea mense Novembri non rediit. Itaque aegra die 26. 11. sanata dimissa est.

DIPHTHERITIS ET ATROPHIA UNIVERSALIS.

Paulus Wegner, biennium natus, die 16 Juni 1856 in nosocomium caritatis receptus est.

Aegrotus, postquam ante tres circiter hebdomades vaccinae ei insitae erant, biduo post hanc operationem diarrhoea tentabatur, quae odorem gravem diffundebat atque mox puero jam diu ad aegrotandum proclivi et infirmo ulcera in locis insitionis superveniebant, ambitum magnum habentia et pus proferentia, quorum secretum nova in humero et utroque brachio ulcera excitabat. Praeterea in ore, in membrana mucosa labiorum, palati, buccarum pharyngis, inflammatio exorta est, quae exsudato membranaceo terminabatur.

Status praesens. Apud aegrum debilem, male

nutritum, oculis torvis et late apertis, per totam corporis superficiem vaccinarum vestigia conspiciuntur. In brachio et humero utriusque lateris ulcera sunt crustis obtecta, in ore, praecipue in membrana mucosa labiorum et in palato molli exsudata membranacea, quae microscopio disquisita fibras non exhibent.

Cutis color anaemicus, pulsus 120 parvi et debiles, aegrotus statim alvum dejecit subviridem, odoris acidi, cum oris odore congruentis. Praescribitur:

Decoct. rad. Alth. ℥iij
Acidi hydrochl. ʒj
Syrup. spl. ℥j

omni bihoria cochlear minus sumatur.

Noctu et tempore matutino diei posteri iterum alvus reddita est. Faeces autem colore subviridi carebant, et puer dolorem in regione intestini crassi tactu manifestabat. Ad locum maxime periculosum palati mollis lapis infernalis in substantia, ad labia autem omni horae quadrante linctus admotus est hic:

Rcp. Mell. rosat. ℥j
Acid. muriat. ʒj

Ulcera unguento obducebantur ex
hydrarg. oxyd. rubri (ʒj ad ℥j),
ut melior suppuratio redderetur 18. 6; postridie status aegroti haud mutatus fuit.

Propter alvi dejectiones adhuc valde acidas, usu acidi hydrochlorati omisso, pulvis praescribitur hic:

Rcp. Rad. Rhei ʒß.
Magn. carbon. ʒj

dimidia pars cochlearis minoris sumatur; praeterea Collyrium ex aqua communi cum gtt. decem Mixturae sequentis:

Rcp. Spirit. Cochleariae ℥j
Tinct. Myrrhae
Tinct. Ratanhiae āā ʒj

19. 6. Hoc die affectione labii valde imminuta, et quum diphtheritis terminata videretur, cauterisatio pharyngis iterata est, vespere aeger anxius videbatur et vehementer febricitabat, vires valde labefactae et postero mane collapsae erant. Sub meridiem aeger mortuus est, nullo alio signo notabili, nisi quod emphysema subcutaneum circa collum ad fossam jugularem usque extensum tactu sensibile erat; dyspnoea non observabatur.

Necroscopia. Cadaveris sectio matutino tempore diei 22 instituta est. In cavo thoracis emphysema interlobulare utriusque pulmonis et pericardii valde fuit perspicuum; emphysema subcutaneum colli in cadavere adhuc notabile. Nec in tracheae decursu nec in larynge usquam locus perforatus reperiebatur. Emphysema idcirco a pulmone profectum videbatur. In inferiore utriusque pulmonis lobo hepatisatio in conspectum venit catarrhalis, pneumonicae hepatisationi similis; pulmo praeterea sanus, passim atelectasi correptus erat. Trachea et oesophagus sanguine ca-

rebant, ceterum sani erant, itidem membrana mucosa inferioris laryngis partis, in ventriculis Morgagni haec tumens, fortasse rimam glottidis occluserat et cellulae aëriferae ruptionem effecerat. Tres circiter lineas infra introitum laryngis et oesophagi imflammatio recta quasi linea rescissa videbatur, margo perspicuus per membranam mucosam hyperaemicam conformatus partes sanas et aegrotas disjungebat. Oris tunica mucosa ubique membrana albescente obtecta, velum maximam partem destructum, tonsillae tumefactae erant. In hepate praeter anaemiam nihil notabile.

Cor sanum apparuit, pericardii emphysema jam commemoratum est.

Ventriculus admodum extensus satis magnam quantitatem massae albae acidi odoris continebat, lacti concreto similis. Omnium intestinorum, praesertim autem intestini crassi, membrana mucosa peculiarem emollitionem exhibuit, quae in membrana mucosa ventriculi reperiri non poterat. Circa glandulas solitarias in decursu tubi intestinalis membranae mucosae defectus observabantur, glandulis ipsis mediocriter tumefactis. Cultro defectus isti augeri poterant, itidem circa glandulas Peyerianas intestini tenuis. Intestinorum contentum acidi odoris, subflavi coloris, inflammationis signa nusquam in intestinis conspicua. Glandulae mesaraicae modice tumefactae, in ceteris organis nihil anomali, quum anaemiae universalis symptomata haud respiciamus. Cerebrum non exploratum est.

DIPHTHERITIS VULVAE, ULCERA DIPHTERICA IN REGIONE PUBIS ET INGUINALI.

Anna Simon, annum et trimestre nata, die 3 mensis Novembris in nosocomium caritatis recepta est.

Aegra pallida, corpore satis bene nutrito lac e matris uberibus hauserat, quapropter difficulter in instituto clinico alebatur. Comperimus, puellam semper bona valetudine usam ante quatuordecim dies lassitudinem et colorem faciei pallidum obtulisse. Sine ulla causa externa in inguine sinistro ulcus exortum est, postea labium majus sinistrum valde tumuit et perinde in inguine dextro ulcusculum apparuit.

Status praesens. Infans leviter febricitat, symptomata cerebralia desunt, organa respirationis et circulationis sana exstant. In vulva magna pars membranae mucosae usque ad hymen deficit, magnum ulcus locum habet, cujus fundus exsudato diphtheritico obtectum est. Ulcus diphthericum duas lineas altum, duos et dimidium pollices longum, in inguine sinistro superne ad integumenta ventris, inferne circa labium majus sinistrum pergit. In inguine dextro ulcusculum simile. Perinaeum et anus, sicuti cavum oris, nihil abnorme praebent; die 3. 11. usque ad 6. 11. haec praescribuntur:

Rcp. Decoct. Cort. Chinæ (ʒjβ) ℥iij
Acidi muriatic. ℈j
Syrup. spl. ℥j
Quovis bihorio cochlear minus.

Quotidie balneum adhibetur et ulcera vino camphorato lavantur. A die 6. 11. pro decocto Chin. decoct. Althaeae cum acidi muniatici ʒj porrigitur, et ulcera diebus 9. 11., 11. 11., 13. 11., 16. 11. argento nitrico aduruntur, alias vino camphorato et balneis abluuntur. Post dies aliquot aegrae status melior evasit, ulcera depurata, appetitus instauratus, alvi excretio et somnus laetior exstiterunt. Pulsus parvus mansit, tamen regularis, puella magis alacris videbatur, quae rerum melior conditio mox evanuit, appetitus defuit, quotidie lassitudo et debilitas, macies et anxietas increverunt. Praeterea aegrota crebro per alvum edidit faeces tenues, virides, tenaci muco vitreo commixtas saepiusque vomuit. Ulcera in dies meliorem speciem praebuerunt, atque ulcus in inguine dextro usque ad diem 25 perfecte cicatrisatum fuit. Pro medicina dabatur infusum

Rad. Rhei (℈j) ℥iβ
Syr. Cort. aurant. ℥β
omni bihorio cochlear minus.

Vomitus desiit, ciborum appetitus rediit, debilitas magna et lassitudo insignis perstiterunt; aegra admodum pallida oculos magnos fulgentes sursum rotavit, caput in pulvinaria depressit, crebro clamavit, spasmis

obnoxia fuit, uno verbo omnia oedematis cerebri signa obtulit.

Respiratio superficialis, difficilis, accelerata fuit atque vespere diei 28. 11. puella obiit.

Necroscopia. Cadaver non valde emaciatum, musculi omnes flaccidi. Cavum cranii oedema ingens piae matris, exsudatum serosum sub pia matre ostendit in ventriculis, hyperaemia substantiae cinereae adfuit, cerebri consistentia normalis. Larynx sanus, partim atelectasis utriusque pulmonis, praecipue totius lobi inferioris sinistri, minus dextri, catarrhus bronchialis. In pericardio exsudatum serosum modicum. Cor parvum, flaccidum, ceteroquin sanum. Thymus perexilis. In cavo abdominis ventriculus relative magnus, lien flaccidus, parvus, anaemicus, hepatis singuli acini pimelosi degenerati, vesica fellea plena, ren sinister magnus, flaccidus, in calycibus renalibus concrementa acidi urici, thrombosis totius venae renalis sinistrae, ren dexter debito minor.

Thrombosis incipiens venarum parvarum. In collo vesicae urinariae concrementa acidi urici, quae magnam inflammationem effecerant, urina flava, turbida, sedimento acidi urici abundans. Uterus ad latus sinistrum inclinatus (ut crebro fit apud puellas parvas) sanus, itidem vagina, ubi diphtheritis in nostra quoque aegrota hymene terminabatur. Mesaraicae glandulae adauctae. In intestino usque ad coecum hypaeremia mem-

branae mucosae, quae magnam copiam muci vitrei, subviridis secreverat; in tractu intestinali symptomata dysenteriae diphthericae. Ulcera ipsa usque ad telam tantummodo subcutaneam progressa erant, neque exsudatis diphtheriticis obtecta.

VITA.

Ego Carolus Rudolphus Aemilius Jacobi Berolini a. 1833 patre dilectissimo Carolo Jacobi regi a consiliis justitiae, matre e gente Langerhans, quos parentes benigno Dei numine adhuc servatos pio gratoque animo venenor, natus fideique addictus sum evangelicae. Gymnasium Berolinense per quatuor annos frequentavi, tum privato studio in litteras incubui duce Clar. Dr. Beheim Schwarzbach, cui viro, qui sincera doctaque cura et indefesso labore ad litteras me instituit, hac oblata occasione publice gratias quas possum maximas ago. Die 13 mensis Aprilis maturitatis testimonio instructus academiam Fridericam Guilelmam adii, ibique a Magnifico Rectore Stahl inter cives academicos receptus apud Ill. Mitscherlich, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum, nomen professus sum. Per octo semestria his interfui scholis:

Ill. J. Müller de demonstrationibus anatomicis et cadaveribus secandis,

Ill. Schlemm de osteologia,

Ill. Müller de physiologia,

Ill. Braun de botanice,

Ill. Dove de physice experimentali,

Ill. Lichtenstein de zoologia,

Ill. Weiss de mineralogia,

Exp. Gruppe de logice et psychologia,

Exp. Peters de demonstrationibus anatomicis,

Exp. Simon de pathologia et therapia generali,

Cel. Troschel de fracturis et luxationibus, de arte fasciarum rite applicandarum,

Ill. Jüngken de chirurgia speciali et generali,

Ill. Langenbeck de akiurgia,

Ill. Müller de anatomica differentiali et de anatomia pathologica,

Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica,

Exp. Ebert de morbis infantium,

Exp. Credé de scientia et arte obstetricia, de gravissimis mulierum morbis,

Ill. Casper de medicina forensi,

Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Exp. Traube de auscultatione et percussione.

Nec minus clinica frequentavi, in quibus Ill. Langenbeck, Jüngken, Busch, Ebert, Schoenlein, Romberg, de Baerensprung duces mihi fuerunt.

Nunc tentaminibus philosophico et medico atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine superatis, fore spero, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Scrophulosis et Tuberculosis unus idemque morbus sunt.
2. Numerus in medicina valet.
3. Quo simplicior curatio, eo magis naturae consentanea.